

Tertullianus De fuga in persecutione: „Ab apice regnorum et imperiorum, utique a Deo disposito statu, in cujus manu cor regis, tanta quotidie aerario augendo prospiciuntur remedia censuum, vectigalium, collationum, stipendiorum; nec unquam usque adhuc ex christianis tale aliquid prospectum est, sub aliquam redemptionem capitis, et sectae redigendis, quum tantae multitudinis nemini ignotae fructus ingens meti posset.“<sup>1</sup> Haec ille. Idem in suo Apologetico: „Inde est imperator, unde est et homo antequam imperator, inde potestas illi, unde et spiritus.“<sup>2</sup> Et iterum: „Augustus, imperii formator, ne dominum quidem dici se volebat, et hoc enim Dei est cognomen. Dicam plane imperatorem dominum, sed more communi, sed quando non cogor, ut dominum Dei vice dicam.“<sup>3</sup> Et paulo ante: „Merito dixerim, noster est magis Caesar, ut a nostro Deo constitutus. Itaque et in eo plus ego illi operor in salutem. Siquidem non solum ab eo postulo eam, qui potest praestare, aut quod talis postulo, qui merear impetrare; sed etiam quod temperans majestatem Caesaris infra Deum, magis illum commendo Deo, cui soli subjicio; subjicio autem, cui non adaequo. Non enim Deum imperatorem dicam, vel quia mentiri nescio, vel quia illum deridere non audeo, vel quia nec ipse se Deum volet dici; si homo sit, interest homini Deo cedere. Satis habeat appellari imperator; grande et hoc nomen est, quod a Deo traditur. Negat illum imperatorem, qui Deum dicit. Nisi homo sit, non est imperator.“<sup>4</sup> Idem l. ad Scapulam: „Christianus nullius est hostis, nedum imperatoris: quem sciens a Deo suo constitui, necesse est ut et ipsum diligat et revereatur et honoret, et salvum velit cum toto Romano imperio, quousque saeculum stabit; tamdiu enim stabit. Colimus ergo et imperatorem sic, quomodo et nobis licet et ipsi expedit, ut hominem a Deo secundum, et quidquid

<sup>1</sup> Cap. 12. Migne, P. L. 2, 116. ed. Pamel. Colon. Agripp. tom. II. p. 686. col. 2.

<sup>2</sup> Apolog. advers gentes c. 30. Migne, P. L. 1, 442.

<sup>3</sup> Ibidem c. 34. Migne l. c. col. 450 s.

<sup>4</sup> Ibidem c. 33. l. c. col. 448 s.

est, a Deo consecutum, et solo Deo minorem. Hoc et ipse volet. Sic enim omnibus major est, dum solo vero Deo minor est. Sic et ipsis diis major est, dum et ipsi in potestate sunt ejus. Itaque et sacrificamus pro salute imperatoris, sed Deo nostro et ipsius; sed quomodo praecepit Deus, pura pure.“<sup>1</sup> Haec ille. Regnum igitur et saecularis jurisdictio juxta scripturam et rationem et patres, a Deo est. Ergo jurisdictio ecclesiastica a fortiori a Deo erit.

Respondemus, regnum quidem a Deo esse, sed non immediate, imo per medium hominem; reges enim vel a republica sive a communitate receperunt principatum, vel ab aliquo rege majori. Ex privilegio autem contigit, ut Deus per se daret alicui regnum, ut Davidi; et tunc etiam regnum illud ita datum a Deo ejusdem erat naturae, et ad eundem finem, cujus regnum a populo collatum. Volebat etiam Deus, ut populus consentiret, et firmaret jurisditionem a Deo regi datam. Jurisdictio ecclesiastica etiam plus potest dici a Deo, quam regnum; quia non solum ex privilegio datur aliquando immediate a Deo, ut de apostolis dici potest et de quibusdam episcopis, sed ordinarie datur summis pontificibus actione immediata, et per eos reliquis inferioribus ministris. Potestas autem reipublicae a Deo quidem est, qui creavit naturam communitatis liberae, dum et ei dominium dedit ad eum sensum, quod fecit eam rationalem, et quae videret se non posse se ipsam per se ipsam regere, posse autem dare potestatem, ut per alios regeretur, unum nempe vel plures. Et ita Deus, qui condidit animas illius communitatis, et dedit illis rationem et liberam voluntatem, media hac ratione et libertate facit prodire jurisditionem; et ita non omnino est immediate a Deo, sed consequitur illa, quae immediate sunt a Deo, nempe rationem et voluntatem.

203. 2. argumentantur a jurisditione, quam in lege habebant summi sacerdotes, vel seniores. Ibi enim Aaron non fecit sacerdotes, sed Moyses; Moyses etiam non tulit de spiritu suo, et dedit septuaginta senioribus, sed Deus.

<sup>1</sup> Cap. 2. l. c. col. 700.

Jus etiam ipsum divinum diserte statuit potestatem summi pontificis in lege, et aliorum sacerdotum officia, ut patet Deut. XVII. et Num. XVIII. Igitur quum nostra jurisdictionis majoris sit dignitatis et momenti, illam Deus per se statuit.

Respondemus, Deum quidem illam statuisse tam in novo, quam in veteri testamento, sed ita ut utriusque testamento conveniebat, et quia vetus status erat servitutis, et neque ministri neque subditi ad perfectionem ducebantur, non reliquit ipsis ministris tam multa statuenda, quia nec illi habebant spiritum statuendi, neque subditi spiritum parendi hominibus, si ex suo arbitrio et auctoritate leges conderent, et non ex Dei praescripto. In novo autem testamento contra res habet, quia et ministris datus est in copia spiritus ad leges statuendas et ministeria distribuenda; populo etiam christiano spiritus parendi, et cognoscendi, quod Deo paret, qui homini ejus locum tenenti paret. Addo etiam, quod ea, quae in veteri testamento praecipiebantur, quia uni genti et in uno loco et ad praescriptum tempus, nempe usque ad Messiam praecipiebantur, poterant stabilia manere, paucis additis, quae tradebant majores. In lege autem nova, quia variis gentibus in variis regionibus varioque coelo mansuris usque ad finem mundi danda erat lex, expediebat, ut relinqueretur ministris potestas variandi et alterandi et condendi et revocandi et dispensandi et interpretandi leges pro ratione personarum, temporum et locorum. Et ideo sat fuit, Deum per se ipsum fundamenta quaedam universalis jecisse, reliqua vero supraedificanda relinquere suis ministris directis a suo spiritu. Et ita in jurisdictione factum est. Nam data est a Christo domino per se ipsum Petro et ejus successoribus, et forte apostolis, et quibusdam aliis variis episcopis, reliquis autem omnibus per eos voluit jurisdictionem dispensari, quia, ut vidimus, magis ita expediebat. Et magis hoc exprimit excellentiam novi testamenti, sicut omnia etiam minuta a Deo praescribi ostendit servitutem veteris testamenti, sub quo tamquam sub paedagogo serviebat Judaeus.

204. 3. Argumentantur a natura nostrae ecclesiae jurisdictionis, quae quia necessaria est sicut potestas ordinis, et magis adhuc necessaria, quia nec ordine uti quis licite potest sine jurisdictione, per quam quis pascere et regere dicitur et non per solum ordinem, a Deo videtur esse immediate, sicut ordo. Rursus quum charisma et donum sit, sicut et gubernationes, de quibus Paulus I. Cor. XII, 28, et ministerium, quod juxta Petrum [I. Petr. IV, 11] sit ex virtute, quam administrat Deus; nec papa, nec ejus potestas pertingere potest ad creandum hujusmodi donum vel infundendum, sed Deus ipse, a quo est omne supernaturale donum.

Respondemus, necessariam quidem esse jurisdictionem, et magis necessariam ad regendum, quam ordo; sicut et ille magis necessarius est ad effectus supernaturales quam jurisdictio. Ab ordine enim solo est, quod quis consecret eucharistiam; et plus ab ordine quam a jurisdictione est, quod quis absolvat a peccatis. Licet ergo demus, esse necessariam jurisdictionem et proinde a Deo esse, non propterea sequitur, quod ab eo sit immediate, quia licet jurisdictio ipsa sit necessaria ad regimen, non est necessarius modus procedendi mediatum vel immediatum ipsius jurisdictionis; quia sive hoc, sive illo modo fiat, regi potest populus, ut ex. gr. tempore David necessaria erat sua jurisdictio ad regendum populum, non tamen erat necessarium, quod haberet regnum immediate a Deo; quia licet ex consensu populi habuisset, poterat regi. Similiter etiam tempore Salomonis necessarium erat regnum ejus ad regimen, non autem erat necesse, ut regnum haberet ex successione, quia suffecisset, illud a Deo immediate habuisse, vel ex electione populi. Male ergo ex necessitate jurisdictionis infertur necessitas modi procedendi ipsius.

Ad aliud autem, quod objicitur de natura jurisdictionis, quia videtur supernaturalis et donum, quod non a papa vel creatura, sed a Deo possit infundi, respondemus, latere hic deceptionem ex eo, quod non consideratur natura ipsius jurisdictionis vel gubernationis. Nam si sumatur pro gratia gratis data gubernandi vel recte admini-

strandii jurisdictionem, ut sumunt Paulus et Petrus, procul dubio donum est, quod ab homine dari non potest, de quo dici vulgo solet, quod dare potest officium sed non discretionem. Jurisdictio autem, de qua hic agimus, non est tale donum, neque quid absolutum, sed relativum. Dicit enim jurisdictio respectum et relationem regentis ad eum qui regitur; jurisdictio autem ecclesiastica dicit respectum non qualemcumque, sed regentis clerici ad subditum christianum. Quum autem relatio sequatur naturam extremorum, et jurisdictio saecularis nihil supernaturale requirit in regendo, vel in recto, vel in eo, qui injungit regenti ut regat, et recto ut regatur; ideo naturaliter prodit relatio jurisdictionis saecularis, et naturale quid ipsa est. In ecclesiastica autem jurisdictione aliter res habet, quia opus est, ut rector quid supernaturale habeat; nempe esse christianum et clericum; rectus etiam quid supernaturale habere debet, hoc est, ad minus esse christianum; ille etiam, qui clericum praeponit christiano, debet habere supernaturalem potestatem, vel episcopalem vel papalem vel quid simile. Ideo relatio jurisdictionis ecclesiasticae quid supernaturale est, ita tamen supernaturale, ut positis terminis sive extremis, et posita potestate, statim relatio oriatur, non quasi ille, qui praefixit aliquem alicui, sit causa efficiens relationis, ita quod positis extremis, sit in ejus voluntate et potestate illam prohibere, quia necessario sequitur extremorum suorum naturam. Et ideo quum primum papa decernit, ut quis sit alteri superior in ecclesiastica hierarchia, sequitur relatio illa, nec opus, ut papa aliquid supernaturale operetur, sed quod ex sua supernaturali potestate praeponat clericum plebi christianae. Sicut enim caritas et reliquae infusae virtutes supernaturalia dona sunt, et tamen secundum naturam sibi a Deo datam absque miraculo inclinant ad actus suos, ita etiam supernaturalia dona in papa vel in praelato vel in subditis natura sua sequitur ipsa relatio. Quae tamen relatio non est charisma, quia non est quid absolutum nec habituale in anima, nec etiam ex assistentia Dei illuminantis intellectum et confirmantis voluntatem ad gubernandum;

haec enim omnia sunt immediate a Deo; sed est relatio quaedam consurgens naturaliter ex jam dictis supernaturalibus donis, a quibus quia consurgit, eorum naturam sapit, et potest supernaturalis quaedam relatio dici. Unde licet diceretur, quod jurisdictio est quid supernaturale, non est inconveniens, quod procedat a papa, quia ejus etiam jurisdictio supernaturalis est et a Deo immediate. Et ideo sicut caritas per actus suos seipsam auget et intendit, ita etiam jurisdictio in papa tamquam in fonte, seipsam propagat et distribuit. Nam ut ajunt scholastici, ad gratiam ipsam et potestatem ordinis, quia non sunt instrumentales, non possunt vel homo vel sacramentum ad eas causandas concurrere ut instrumenta, sed tantum disponunt subditos ad eas suscipiendas; potestas autem jurisdictionis, quia instrumentalis est, potest ab homine attingi, ita ut eam quasi instrumentum Dei conferat.

205. Octavo sumuntur argumenta ab inconvenientibus, quae vitantur dicendo, jurisdictionem a Deo esse immediate. 1. enim tolleretur hoc schisma, quod videtur esse subortum, dum aliqui episcopi dicunt: Ego sum a Deo, alii vero: Ego a papa. Respondetur, schisma hoc, si tamen schisma est, tolli posse, si omnes dicant esse se quidem a Deo, sed per papam; quia ubi schisma est propter diversas opiniones, si omnes complectantur eandem, utraque illa sit, cessat schisma; magis autem amplectenda est communis sententia et quae magis favet unitati, qualis est nostra, quae magis schismati repugnat. — Deinde negamus, quamvis diversitatem opinionum facere schisma in ecclesia; alioqui sancti doctores et antiqui et scholastici fuissent schismatici. Opinio igitur, propter quam quis non vult obedire ecclesiae nec cum ea communicare, est quae facit schismaticum. Et non est putandum, hos patres ita suis opinionibus adhaerere, ut velint se ab ecclesia separare, quod plane de nobis possumus asserere.

206. 2. Argumentantur, quia ex hac opinione, quae solius Turrecrematae est, et ob quam jamdudum exsulat a scholis, sequitur episcopos commissarios esse pontificis,

non autem ordinarios, ut idem Turrecremata dicit. Respondetur falsissimum esse, quod haec opinio sit solius Turrecrematae, ut late est ostensum. Imo opposita opinio paucorum scholasticorum est et suspectorum, et ab illis fortasse exsulat Turrecremata, non autem a scholis catholicorum. Imponitur etiam illi, quod dicat episcopos commissariam et non ordinariam habere jurisdictionem, contra quod disertè ipse docet lib. 2. c. 64; ait enim: „Putatur, quod potestas papae se habet ad potestates episcoporum non sicut potestas regis ad potestatem principum habentium potestatem jure haereditario, nec etiam sicut potestas regis ad potestates judicum habentium potestatem delegatam vel commissariam; sed sicut potestas imperatoris vel regis se habet ad potestatem judicum in aliquo gradu regiminis regni vel imperii simpliciter institutorum ad regendum populum per se vel per alium. Ista est sententia sancti Thomae, qui dicit, quod potestas papae se habet ad potestatem episcoporum, sicut potestas regis ad potestates judicum constitutorum per singulas civitates; et in fine secundi sententiarum dicit, quod ita se habet potestas papae ad potestates inferiores, sicut potestas imperatoris se habet ad potestatem proconsulis.<sup>1</sup> Item in libro de perfectione vitae spiritualis dicit idem sanctus Thomas, quod si quis recte consideret, in regimine ecclesiae hoc modo comparantur archidiaconi et presbyteri ad episcopum, sicut in regimine temporali praepositi vel balivi ad regem.<sup>2</sup> Et quum arguitur ex adverso, quod hoc sit inconveniens, negatur hoc, et ad probationem respondetur negando consequentiam. Ratio patet ex dictis, quia isti judices non sunt commissarii, sed ordinarii ponuntur; pro quo notandum, quod ordinarium dicitur ab ordine; unde ordinarium videtur importare id, quod secundum communem ordinem in republica fit semper; propter quod illud, quod competit diversis gradibus et statibus in republica ordinatis, ordinarium dicitur; unde potestates competentes

<sup>1</sup> In 4. dist. 19. et 2. dist. 44. art. ult. exposit. text. Respondeo dicendum.

<sup>2</sup> Opusc. II. ed. Parm 1864, tom. XV. p. 99 ss.

statibus hujusmodi institutis in ecclesia, scilicet patriarchali, archiepiscopali, episcopali et parochiali dicuntur ordinariae, et illi qui simpliciter in talibus statibus et gradibus statuuntur, ut regant populum per se vel per alium, secundum gradum et statum in quibus statuuntur, dicuntur ordinarii. Potestas autem commissarii proprius loquendo videtur dici, quum alicui ab aliquo sic instituto committitur eadem potestas, quae est sua ordinaria, secundum quam vice ejus aliquid agat. Unde collatio talis potestatis non dicit novum gradum potestatis, vel institutionem simpliciter in aliquo gradu novae potestatis, sed dicit commissionem ejusdem potestatis ab instituto in ipsa potestate, ita quod potestas commissaria est commissa ab instituto in gradu potestatis simpliciter. Et ita patet, quod praelati isti a papa positi non sunt commissarii, sed vere ordinarii. Haec ille; ex professo docens contrarium eorum, quae ab ipsis illi imponuntur.

207. 3. Vitaretur haeresis Aerii, qui nulla differentia dicebat episcopum differre a sacerdote, quae videtur etiam fuisse haeresis Joannis Wicleffi et Joannis Hus, in quos Martinus V. in bulla quadam<sup>1</sup> damnationis eorum jubet christianos inter alia interrogari: „Item utrum credat auctoritatem jurisdictionis papae, archiepiscopi et episcopi in solvendo et ligando esse majorem auctoritate simplicis sacerdotis, etiamsi curam animarum habeat.“ Haec ibi. Hi autem errores vitabuntur, asserendo jurisdictionem episcopi esse a Deo immediate. Respondetur negando, quod ad hos errores vitandos opus sit asserere hanc opinionem. Nam satis vitatur error Aerii, si dicatur differre episcopum a presbytero, eumque excellere quoad potestatem ordinis jure divino, quoad jurisdictionem vero jure ecclesiastico, sicut eo jure habent episcopus et curatus jurisdictionem, et episcopus majorem ipso curato. Per quod vitatur etiam error damnatus a Martino. Nam negantes papam habere majorem jurisdictionem quam inferiores, contra jus divinum

<sup>1</sup> Est Bulla „Inter cunctas“ et articulus 25.; Hardouin 8, 915.

errabant; negantes vero archiepiscopum habere majorem jurisdictionem, quam vel episcopus vel curatus, clarum est, quod non errabant contra jus divinum; quia archiepiscopus ex jure humano habet archiepiscopalem jurisdictionem, in qua superat episcopum; nam in ordinaria aequales sunt. Et ideo male ex hoc articulo inferebant jurisdictionem episcopi esse juris divini; quia potius contrarium ex hoc sequitur, tum quia ibi fit mentio de archiepiscopo, tum quia nulla mentio facta est de jure divino, nec ab hoc concilio nec ab aliquo patre; quin imo Chrysostomus, Ambrosius, Hieronymus, et Augustinus contrarium innuunt, ut superius vidimus.

208. Nonno sumitur argumentum a bonis, quae hanc opinionem consequuntur. Primo enim reformabitur ecclesia; quia episcopi habebunt suam auctoritatem integram, et quae sine causa non possit tolli vel impediri, si a jure divino eam habebunt. Deinde non facile excusabuntur episcopi a residentia. Nec dabitur tertio locus commendis, pluralitati beneficiorum, et aliis abusibus si statuitur jurisdictio de jure divino. Quod adeo firmum putabant antiqui patres, ut episcopatum opus totius Trinitatis esse dicerent. Episcopatus enim auctorem dicebant Patrem, mittere autem episcopum Filium, Spiritum sanctum distribuere dona. — Respondemus optandam esse reformationem ecclesiae et summopere curandam; sed viae bonae assumendae sunt, quia malum vel error non potest esse medium ad aliquod bonum consequendum. Hoc ipso enim, quod esset medium ad bonum, bono appropinquaret, ac propterea bonum esset. Non est autem bonum, sed malum, praetextu dubiae opinionis praetensi juris divini tollere vel impedire vel minuere potestatem summi pontificis, quae certe est juris divini. Esset enim hoc velle, quod dubium imo falsum jus divinum vincat verum et certum. Deinde vitia, quae per reformationem tollenda sunt, ut simonia, ambitio, avaritia, luxuria, haeresis et similia, expresse sunt contra jus divinum; ergo habemus certa jura divina, quibus haec evellamus. Non opus est

igitur, mendicare novum, et incertum jus divinum heri vel medius tertius a paucis scholasticis et a communi sententia doctorum dissentientibus inventum. Denique fatemur, episcopatum et jurisdictionem ipsam sicut omnia bona opera, esse Trinitatis; ejus enim opera ad extra sunt indivisa; sed negamus, jurisdictionem ipsam ita esse opus immediatum Trinitatis, sicut est ordo. Nam in ordine imprimendo ipsa per se operatur, nec admittit ecclesiasticam auctoritatem operantem et injungentem, quam admittit in jurisdictione episcoporum, de cujus derivatione ab ea summi pontificis jam dicta sufficiant.